



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Qua præparatione co[n]cionaretur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

suæ esse potestatis, nec facultatem Societati præ-
 sentem adesse ad tam multas vno tempore colo-
 nias deducendas. Nec aliter Præpositus Generalis
 respondit: perq; sociorum penuriam factum est,
 vt præteruecto illo commoditatis articulo, So-
 cietas Straubingæ postea Sedem nunquam loca-
 rit. Vbi ieiuniorum solenne tempus affluxit, sacer
 Athleta vetus stadium noua contentione ingres-
 sus Euāgelicas conciones, quæ, vt supra demon-
 stratum est, quaternæ in hebdomada ante solen-
 neserant, quotidianas instituit. Superata autem
 propemodum fidem quantâ cura, ac præmedi-
 tatione, quot fufis ad Deum precibus, quanta af-
 flictatione corporis præparatus ad dicendum ac-
 cederet: gnarus videlicet neq; qui rigat, neq; qui
 plantat esse aliquid, sed qui incrementum dat,
 Deum. Et tamen aliis interea plurimis distineba-
 tur occupationibus piis: Feriaq; sexta, ac Sabbato
 totos dies audiendis peccata confitētibus dabat,
 vt de nocturnis horis decerpendum esset, quod
 ad cudendam, limandamq; orationem, quod ad
 solennes preces conferebatur. Dum autem om-
 nia Deo, & proximis, omnia mēti, & animo dan-
 tur, nihil corpori reseruatur, nimirum imbecilla

*Quotidianam
 concionam
 morem Augu-
 sti inducit.*

*Qua præpa-
 ratione concio-
 naretur.*

b

caro,

caro, cum diu robore sustentata spiritus durasse tandem non procul à meta, hebdomada ipsa maiore succubuit. Sed breui Deus piorum vota, miserorū necessitates respexit, vt explicitus morbo reponeret in Paschali lætitia quod fuerat in Parasceues mœstitia persoluendum. Extiteret enim ex diuina semente vberimæ, si vnquam, fruges. Mille amplius hoc anno, quam superoribus annis per sanctam Christi anastasim ad diuinaspulas obseruatum est accessisse. Inter adiungenda ad Ecclesiam duo præcipuè spectandi fuere. Vn- go prænobilis, eademq; Comes, quæ quanquam discessura esset Augusta, & ad Hæreticos, vnderat, propinquos reditura, tamen fiduciæ tantum concepit, vt inter eos non desperarit, Christi beneiuuante, obtenturam in agnita veritate constantiam: & Patricius Augustanus, qui tota vniuersitate grauiter à Catholicis alienum gesserat animum, prognatus ex parente, qui Hæreticorum semper columen, & princeps habitus erat.

Vbi perfunctus est paschalibus officiis, obstiti non potuit, quin Patribus Tridentinis mosgereretur. Positis ergò ex itinere Oenipontani Collegij exordiis, Tridentum mense Maio perrexit.

*Ingens ex eius
laboribus anti-
marū fructus.*

*Ad Conci-
lium aduoca-
tus.*